



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. IX. Actio bona siue honesta, quæ dicenda: Quæ item mala & turpis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

De quibus singulis est ordine dicendū, si prius
 Quid sit bona siue honesta actio, Quid mala
 siue turpis, breuiter exposuerimus.



CAP. IX.

Actio bona siue honesta, quæ dicenda:
 Quæ item mala & turpis.

DIFFICILIS sanè & ardua quæstio
 est, Quid sit honesta, siue sancta, siue
 bona (tot enim nominibus appellari
 vna & eadē potest actio) quidve tur-
 pis. Nam aliter prophani philosophi, qui vitæ
 honestè instituendæ præcepta tradidere: aliter
 Nomothetæ & Iurisconsulti, qui honestas le-
 ges hominibus posuere: aliter denique veri
 Christianique Theologi, qui quid honestū siue
 sanctum sit: quid item turpe & profanum ex-
 plicarunt: adeo vt propter tam varias ac sæpe si-
 bi ipsis contrarias de eadem re sententias qui-
 dam honestum & turpe non naturâ, sed ho-
 minum tantum opinione definiri & constare
 censerent: atque posse quemque prout animo
 libuerit hoc vel illud esse honestum & turpe si-
 bi statuere. Impia certè sententia, quanquam
 à quibusdam scholasticis vt est lib. 2. sententia.
 Distinct. 39. defensa, per quam omne iusti atq;
 iniusti, honesti & inhonesti discrimen & dele-
 ctus tollitur. Nam si ipsius conscientie nostræ
 vox à nobis exaudiatur, itémque eorum, qui in-
 ter profanos ipsos saniores fuerunt, iudicia spe-
 ctentur, turpe & honestum quod propriè est,

grauiſſimo naturæ ipſius teſtimonio, non leui
 quadam hominū opinione definitum eſſe appa-
 rebit. Itaque & ipſorum Philoſophorum, &
 Iuriſconſultorum authoritate refutata eſt hæc
 tam nefaria oratio. Præclarè enim Ariſtoteles
 lib. 5. ἠθικῶν Νικομαχεῶς cap. 7. (vt & Platonicoſ
 omittam & Stoicoſ, qui verius, quàm vel Epi-
 curci vel Cyrenaici, vel Pyrrhonicī, de rebus
 honeſtis ſenſerunt) præclarè, inquam, ille, τῆ
 δὲ αἰεὶ τὸ μὴ φρονεῖν, τὸ δὲ νομῶν, eſſe contendit.
 Huic aſtipulatur Vlpianus Iuriſconſultus in L.
 Probra 42. D. de verborum ſignificat. *Pro-
 bra, inquit, quedam naturà turpia ſunt: quedam
 ciuilitèr, & quaſi more ciuitatis. Vt pote furum, a-
 dulterium, naturà turpe eſt. Enimuero tutele dam-
 nari, hoc non natura probrum eſt, ſed more ciuitatis.
 Nec enim naturà probrum eſt, quod poteſt in homi-
 nem idoneum incidere. Quid ex Stoicorum ſen-
 tentia M. Tull. Quibus ex rebus conſtat, ait,
 & efficitur id, quod quaerimus, honeſtum: quod e-
 tiamſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit, quòd-
 que verè dicimus, etiamſi à nullo laudetur, lauda-
 bile eſſe naturà. Irenæus item author ſanctiſſi-
 mus, & grauiſſimus, quem Vlpiano præferri o-
 portuit: *Bonum & malum, inquit, non opinione,
 ſed naturà definitur.* li. 2. cap. 56. Sed quis tandem
 finis erit ſi cæterorum de ea re teſtimonia colligam,
 luce quidem diuina carentium hominum,
 ſed tantum ipſius naturæ & conſcientiæ ſuæ vi
 impulſorum, vt iſta affirmarent quæ & vera
 ſunt, & à nobis pro conſeſſo quodam ἀσφάλῃ
 in hac tota diſputatione ſumenda. Nimirum a-
 liud eſſe honeſtum, quàm turpe: idque naturæ
 ipſius*

ipsius voce defini. Vnus est Paulus nobis pro omnibus iudex in hac controuersia audiendus, qui Roman. 2. v. 15. docet ea quæ lege Dei præscripta sunt (illa autem sunt honesta) aperto conscientia nostræ testimonio defini, adeo quidem vt cogitationes ipsæ nostræ tanquam naturæ voces nos in nostris actionibus iudicâdis accusent vel excusent, quicquid vana hominû disputatione sit contra constitutum. *Vt qui, ait, ostendant opus legis scriptum in cordibus suis: unâ testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus.* Quid, quod dum aliquid turpe & obscœnum agunt homines, latebras querût? Quid, quod hullo teste aut indice ipsi se tamen produnt scelerati, conscientia stimulis acti, velut certissimo indicio damnati, cui refragari non possint, quantumuis reluctantur? Quamobrem recte ille & consentienter ipsi rerû naturæ & veritati dixit,

*Iudice nemo nocēs absolvitur, improba quâuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit ornâ.*

Quod non accideret, nisi quædam esse re ipsa, non autem hominum tantum consuetudine vel opinione turpia naturæ ipsius vox, conscientiaque nostræ iudicium doceret. Ipsum igitur bonum siue honestum non est opinionibus, sed naturâ. Nam quemadmodum non possunt homines, quicquid de tenebris semel vniuersi statuerint suis decretis efficere, vt illa sint lumen: neque vt lumen sint tenebræ: ita neque sua obstinataque sententia, neque longa diuturnaque consuetudine possunt boni & mali, honesti & inhonesti naturam immutare atque fines con-

uellere. Væ enim illis dominus ipse denuntiat, qui *que bona sunt, mala: que autem mala, bona nominant.* vt est Isai. 5. Quàm verò illud sentire absurdum est, Atra & candida, Calida & frigida, Rubra & Viridia, cæteraque huiusmodi non hominum tantum opinionibus, sed ipsa rerum naturâ distingui? Bonum autem & malum: turpe & honestum: virtutem & vitium, non naturali quadam certaque differentiâ distingui: sed tantum pro cuiusque leui arbitrio & voluntate, cum tamen in his quàm in illis confundendis maius periculum versetur? Denique vt totus hic locus concludatur, indicatione potius, quàm probatione eget, nisi, gigantum more, cū Deo ipso pugnare voluerimus, & hæc M. Tull. Cicer. disertissimi oratoris verba ex lib. 1. De legibus audiamus. *Quod si populorum iussus, si principum decretis, si sententijs iudicum iura & honesta constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si hæc suffragijs aut scitis multitudinis probarerentur. Quæ si tanta potestas est stultorum sententijs atque iussis, vt eorum suffragijs rerum natura vertatur, cur non sancimus, vt quæ mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus? Aut cur, si ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam à mala nulla alia, nisi nature, norma diuidere possumus: Nec solum ius & iniuria à natura diiudicatur, sed omnino omnia honesta ac turpia.* Id quod etiam lib. contra Mendacium cap. 7. docet prolixè August. Ex quo fit, vt explodenda nobis sit prorsus ista Q. Horatij Flacci, tanquam hominis profani sententia,

sententia, quæ est Satyra lib. 1. Saty. 3.

*Nec natura potest iusto secernere iniquum,
Diuidit ut bona diuersis, fugienda petendis.*

Melius verò eodem opere idem, & sanior factus, docet à natura ipsa, non ex hominum temeraria & mutabili opinione positos esse recti, prauique fines,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Quos ultra, citràque nequit consistere rectum.

Quod & Euripides in Medea, & præstantissimi quique tum Poetæ, tum Philosophi scripserunt, & senserunt. Sed neque illam quoque Cælij Lactantij, quanquam scriptoris Ecclesiastici, honestatis definitionem probamus, qui lib. 3. cap. 8. sic ait, *Nam quid est honestas, nisi honor perpetuus ad aliquem secundo populi rumore delatus?* Quanquam enim laus actiones honestas sequi, tanquam umbra corpus, inter viros bonos soleat, ipsa tamen honestatis vis & natura non ex hominum opinione & rumore, vt ille vult: sed ex naturæ immutabili voce & perpetuo testimonio statuenda est. Itaque cum illud quod honestum vel turpe dicendum est non opinione tantum, sed naturâ definiiri debeat, iam quid illud sit explicemus. Ab eo enim actio honesta, vel turpis denominatur. In eo autem, quod honestum est, definiendo (nā turpis siue mali, vti contrarij, eadem erit ratio) multum ij omnes cæcutiunt, qui veritatis cælestis luce destituuntur. Alij enim id esse honestum siue alio nomine purum, venerandum, iustum, amabile, laudabile, sanctum, dicere malumus (tot enim tamque variis appellationibus ad maiorem rei

e.ijj.

tantæ commendationem, tanquam præclaris cognominibus, ornat honestum Paulus Philip. 4. v. 8.) Ergo illud esse honestum volunt, quod est per se expetendum: ita M. Tullius. Alij id esse malunt honestum, quod virtutis est particeps, vt Hippodamus Pythagoricus. Alij illud quod mediocritatem illam auream (in cuius inflexa linea, tanquam Solem in ecliptica, totâ virtutis rationem sitam esse volunt) retinet atque conseruat: quemadmodum Aristot. Qui omnes, & si qui sunt his similes, meo quidem iudicio, peccant in honesto definiendo grauissimè. Nam primum obscurum quod est, per aliud æquè ignotû explicare conantur. Id quod legi definiendi planè repugnat, habetque in se illud vitium, quod Dialectici vocant, *αἰεὶν τὸ ἐν ἀρχῇ*. Tam enim ignorant homines quid sit vel virtus, vel virtutis particeps, quàm quid sit honestum. Præterea non ipsam rei *ἰστίαν*, sed tantùm adiuncta quædam & accidentia, nec ea quidem inseparabilia, afferunt qui dicunt honestum illud esse quod est per se laudabile & expetendum, aut quid simile. Quanquam enim vera est eorum sententia, honestum esse laude dignum, sæpe tamen quæ sunt mala & turpia potius inter homines & laudantur & expetuntur: quàm quæ sunt bona, veluti superstitio, idololatria, auaritia maiori mortalium parti & vulgo ipsi probatur. De quo viri grauissimi semper conquesti sunt, atque etiam hodie conqueruntur, mala veris bonis præferri. Est igitur honesti & boni significatio huiusmodi, vt si vocabulum quidem ipsum spectes, abso-

lutum

lutum quiddam: sin autem rem ipsam, relationem, affectionem & *ῥῆσιν* ad aliud aliquid denotare videatur. Bonas enim & honestas actiones has vel illas dicimus aperto quidem & simplici significato: sed si rationem huius appellationis & distinctionis quærimus, si naturam, ad aliud quiddam nos referamus necesse est. Est enim illud bonum & honestum quod est suæ regulæ, & tanquam mensuræ adæquatum & congruens, adeo, ut cum honestum quid esse dicitur, certa quædam ratio siue proportio ad aliud significetur, in quo nobis est intuendum, quod sit ipsius actionis nostræ verissima statera & norma. Quamobrem non omnino ij malè sentiunt, quanquam tamen barbarè loquuntur, qui bonitatem actionis humanæ sic definiunt, ut sit quædam recta proportionatio (*ἀναλογισμὸν* vel *ἀναλογία* Græci dicunt) facti nostri ad præscriptam nobis agendi legem, ex qua actionis nostræ conuenientia & quædam velut æqualitas cum ipsa regula præscripta, in rei quam suscepimus, administratione cernatur & eluceat. Rectè enim Scholastici, *Bonitas cuiuslibet rei, consistit in conformitate ad suam regulam.* Sed malè iidem subiiciunt, *Dictamen rationis humana esse idoneam regulam actionum humanarum, ad quod ille sunt dirigenda.* Longè enim tutior veriòrque nobis actionum nostrarum regula quærenda est, quàm intelligentia vel mens nostra, quæ luce sua tanquam splendida face, nos illustret, & dirigat, quia mens nostra (etiam ea, quæ à Philosophis *ἡγεμονικὸν* dicitur) & cæca & deprauata est, quemadmodum docet

selectissimum illud Dei organum Paul. Ephes. 4. v. 23. Verius igitur illi etiam ex Scholasticis, qui *qui bonum & honestum id esse volunt, quod est voluntatum formale Dei*. Nam idem sentiunt cum Paulo, idem cum Mose. Ac Paulus quidem tum Coloss. 1. v. 10. tum etiam Romanor. 12. v. 2. Ephes. 5. v. 15 *Ἀρέσκειαν & θέλημα θεῶν*, id est, *Voluntatem Dei, & quicquid illi gratum est, & acceptum*, verissimam vite nostrae sancte instituendae regulam esse demonstrat. Moses autem Deuteron. 12. v. 8. idem plane confirmat, ut ad eam solum tanquam regulam & unicam & perfectissimam omnium honestarum actionum sit nobis intuendum, & dirigenda omnia opera nostra, quae bona & sancta esse volumus. Damascenus contra Manichaeos τὸ το φαμένον ἀγαθόν, ὅπερ θέλει ὁ θεός. ὡς περ γὰρ τὸ φῶς ἐκ τῆς ἡλίου οὐδέποτε ἕπεται καὶ τὸ ἀγαθόν ἐκ τῆς θεῶν. Atque illa eadem Dei voluntas verbo ipsius comprehensa non tantum externarum actionum nostrarum: sed & cogitationum ipsarum, quas sanctas & bonas esse desideramus, etiam est & norma, & regula. Ex quo fit, ut Dei λόγος dicatur κριτικός, ut ait Apostolus, ἐνδυμήσεων καὶ διανοιῶν καρδίας, id est, diiudicare cordis nostri cogitationes quales sint, bonae nimirum an malae, Hebr. 4. v. 12. Nam si diligenter in illius cognitione assuefacti & exercitati fuerimus, facile bona a malis, & honesta a turpibus discernemus atque disiungemus, ut est Hebr. 5. v. 14. Philip. 1. v. 9. 10. Ex quo fit, ut iam bonum & honestum sit omne illud definiendum, quod est divinae legi, & iustitiae nobis in ea descriptae, tanquam suae veraeque regulae, congruens, consentiens, & ut ita dicam, proportionatum

tionatum siue adæquatum. Illud autem & Malum & turpe est appellandum, quod ab ea Dei lege, tāquam à sua norma, diffidet, & discrepat. Honestū igitur siue bonū opus & actio (Nam eo quod est honestū definito, facile iam quid sit honesta actio intelligi potest) est ea, quæ cum legis Dei præceptis planè consentit. Turpe autem siue malum opus & actio, ea, quæ à legis Dei præscripto vel in totum, vel in parte tantum, dissentit & recedit. Cæterum inter bonum & malum opus hæc est maximè notanda differentia, quòd bonum opus dici neque debet, neque etiā, si exactè rem definire volumus (Sæpe enim multa opera etiam imperfecta & mala ex parte, à nobis tamen, qui meliora præstare non possumus, dicuntur esse bona) potest, nisi omnino & quoad facti ipsius speciem, & quoad finē (quæ duo sunt velut materia & forma actionum nostrarum, & velut essentielles earum partes) & quoad etiam omnes alias circumstantias cum lege & voluntate Dei concordet & conveniat, à qua si vel tantillum recesserit, iam malum opus est, quia conforme, consentaneū, & exæquatum suæ mensuræ, id est, legi Dei non erit. Malum enim opus est, si vel in vna tantum circumstantia quis à præscripta nobis à Deo iustitiæ regula discedit. id quòd copiosè & luculèter docet Basil. li. 2. De Baptif. Interrogat. 8. Nam qui vel in vno ex ijs omnibus, quæ Dominus à nobis requirit, offendit, quanquam cætera & plura quidem ex illis obseruauerit, fit tamen omniū, vt ait Scriptura, reus, quia partialē iustitiam non acceptat Deus: sed eam tantum, quæ

omnibus suis numeris cōstat & perfecta est. Ergo is demū corā eo honestum aliquod & bonū opus fecisse dici potest, qui præstiterit omnia, quæ sunt in quaque actione à Deo præcepta, Iacob. 2. v. 10. Galat. 3. v. 10. Deuteron. 27. v. 26. Lōgè enim in istarum rerū examine differt Dei iudicis Optimi, Iustissimi & Perfectissimi ab hominum sensu iudicium & statera. Nihil enim ille qui omnino perfectus est, nisi perfectum & omni parte absolutum gratum & acceptum habet. Nos autem qui nihil nisi labes, vitium, & iniustitia sumus, etiā ea bona opera appellamus, in quibus tamen magnæ sordes, magni nāui, magnique defectus & deformitates insunt, quia meliora propter naturæ corruptionem, qua laboramus, præstare & efficere non possumus. Vnde quæ actio ex ipsius facti specie dici fortasse bona poterat à nobis, ea tamen malum & inhonestum opus coram Deo erit, si in ipso opere aliqua circumstantia non rectè obseruata fuerit vel non animaduersa. Veluti si quis alium prohibeat alienum furari vel mœchari, ut illud postea ipse furetur, vel cum ea ipsa muliere mœchetur, ex ipso quidem facti, id est, prohibitionis & dissuasionis genere honesta & bona actio censerī posset: ex fine tamen, propter quem ista fieri dissuasit, & turpis & mala dicenda est. Item si quis commiseratione quadam ex alieno subueniat egenti, quoad facti speciem & finem, honesta hæc quidem actio fortasse videbitur, propter circumstantiæ tamen rationem, nimirum quia ex alieno largitur, sit mala. Item si quis patri castigare filium moderatè

moderatè paranti affectu quodam humano eximat, videri posset actio in speciè humana, nempe cū qui affligendus est ex imminente malo & cruciatu eripere, sed quia patri eripit, non est probanda. Quamobrem veræ sunt hæ duæ sententiæ, & à nobis obseruanda. 1. Quæ ex facti genere bona est actio, ex circumstantia mala fieri potest. 2. Mala tamen ex facti sui genere actio, propter bonā circumstantiam bona fieri nunquā potest. Neque enim qui furatur vt alij subueniat, vel qui mœchatur vt cū pximo, id est, muliere aliqua, arctiorē amicitiam contrahat, is bene agit: quanquam velle nobis amicissimum esse proximum, velle illi subuenire, per se videri poterat honestum. Ex quo fit, vt variis, imò verò penè infinitis modis & itineribus à recto deflectamus & in vitium labamur: vna tamen duntaxat via, quæ est regia, vt Iacob. loquitur, Iacob. 2. v. 8. rectè agamus & incedamus, quia infinita sunt diuerticula, quæ nos à recto itinere & tramite abducunt. Via autem, quæ recta est, vnica est. Nam quemadmodum aliquid à iusta mensura & pondere deficere infinitis prope modis potest, vna verò tantum est ratio, per quam suæ mensuræ & ponderi conuenit: nimirum, si illi adæquetur. Ita variis modis & diuerticulis malum opus efficitur: cū tamen vna tantum boni operis via, ratio verag; definitio sit, nimirum si planè & omnino cum Dei verbo, id est, cum sua regula nostrum opus consentiat. Plura enim requiruntur, vt bona sit actio nostra, quàm vt mala. Est enim tum demum bona, cū prorsus & penitus legi Dei, id

est, suæ regulæ est adæquata, nec ab ea vel minimum recedit. Mala verò est, quocunque modo ab ea deflectat. Requirit autem in actionibus nostris, ut illæ bonæ sint & honestæ, Dei verbum duo quædam, nempe,

{ Facti atque operis speciem, veluti ut Ali-
& { cui subueniamus, amemus, foueamus.
{ Certas quasdam quæ cuique operi inhæ-
rent circumstantias.

Quæ sanè non possunt abesse, & de quibus superius diximus. Atque hæc si non fuerint singulæ à nobis rectè & diligenter in quaque actione, quemadmodum oportet, obseruatæ, nostrum opus deturpant, & quodammodo inquinant, ne verè possit censeri honestum & bonum. Sunt enim circumstantiæ facti, tanquam nudi corporis decora vestimenta, quæ si negligenter induantur, turpem illius corporis aspectum reddunt. Sic igitur circumstantiæ non satis prudenter, nec, ut oportet, adhibitæ opera nostra efficiunt mala & deformia. Ad eò ut quantumuis illa in speciem egregia & eximia sæpe hominibus videantur, fœda tamen sint, exitiosa, & damnanda apud Deum, cuius solius iudicio in bonis malisve operibus definiendis proculdubio nobis est standum. Quod autem solius voluntatis opera & actiones bonas vel malas esse posse Scholastici docent & contendunt lib. 2. Sentent. Distinct. 39. & 40. Intellectus, Memoria, & reliquarum animi facultatù non item, illud planè falsum est. Quacunque enim nostri parte à Dei lege, id est, à verâ regula & præscripto discedimus, certè peccamus,
quia

quia Deus non tantum voluntate, sed & intellectu, & reliquis animi nostri viribus & facultatibus à nobis est & colendus & diligendus Matth. 22. v. 37. Omnia enim membra nostra, atque etiã animæ nostræ potentiæ omnes sunt Deo conferuandæ, vt Rom. 12. docet Paulus. Nam diuina lex non tantum nostræ voluntatis, sed etiam intelligentiæ occupationes atque actiones regit & dirigit: à qua regula si illæ discesserint, proculdubio & mala & peccata sunt dicendæ.



CAP. X.

De causa efficiente humanarum actionum,
quæ bonæ: vel malæ
dicuntur.

BE NE verò vel malè agendi principium & causa efficiens duplex quidè in vniuersum à nobis cõstitui potest, vna in nobis, altera extra nos. Nam quod bonarum vel malarum actionum à *ex* & principium hominè ipsum esse scribit Aristot. verè quidem dixit, sed non satis. Ac verè, quòd, quemadmodum præclare sentit Augustinus, neque saluos nos facit Deus sine nobis: neque debet bona actio vlla humana esse censeri, in qua nulla ipsius hominis operatio interuenire spectariue potest. Non satis dixit tamen Arist. propterea quòd homo nõ est sola bonarũ actionum, quas agit, causa & principium, verumetiã Deus: imò verò si fiat vtriusque inter se com-